

DE DELEGABILITATE POTESTATIS ORDINIS

Praenotamen

Titulus V secundi libri Codicis Iuris Canonici, *de potestate ordinaria et delegata*, quattuordecim complectitur canones, quorum unus tantum, et quidem ultimo loco positus, de potestate ordinis agit. In schematibus praeparatoriis huius tituli plura praescripta circa ordinis potestatem proposita sunt;¹ in redactione tamen definitiva remansit solummodo praescriptum canonis 210, quasi per modum appendicis ad ea quae circa iurisdictionem ordinariam et delegatam in canonibus 196-209 statuuntur.

Verba canonis primo intuitu satis perspicua videntur: *Potestas ordinis a legitimo Superiore ecclesiastico sive adnexa officio sive commissa personae nequit aliis demandari, nisi id fuerit iure vel indulto concessum*.²

Vix tamen duos invenies auctores in eius explicatione concordēs. Cuius causa in eo praecipue reponenda videtur, quod in litteratura canonica omnino desiderantur scripta de delegatione potestatis ordinis ex professo tractantia.

Doctrina de iurisdictione eiusque delegatione apud auctores tum veteres tum recentiores fusius explicatur, sed doctrinam generalem de delegatione potestatis ordinis obiter tantum et quasi per transennam tangunt. Imo nequidem quaestionem fundamentalem de *delegabilitate* huius potestatis accurate examinant. Sed vel simpliciter asserunt ipsam ordinis potestatem delegari non posse vel, si eius delegabilitatem admittant, quaestionem paucis tantum lineis expediunt, quin limites intra quos delegari potest pressius definiant.

¹ Cfr. e. gr. *Schema Codicis Iuris Canonici* (sub secreto pontificio), Romae 1922, lib. II, tit. V, de potestate ordinaria et delegata.

² Can. 210.

Iamvero neminem latere potest enucleationem huius doctrinae generalis omnino praerquiri ut praescripta canonica de delegatione potestatis ordinis rite intelligi et explicari possint.

In praesenti studio praedictam litteraturae canonicae lacunam pro modulo nostro explere conabimur, eatenus saltem quatenus ad difficultates circa canonem 210 solvendas necessarium videbitur.

I

DE IPSA POTESTATE ORDINIS

Antequam tamen quaestionem de delegabilitate potestatis ordinis ex professo excitemus, breviter enucleare iuvabit doctrinam quam theologi et iuris publici cultores de ipsa natura huius potestatis deque eiusdem proprietatibus et praecipuis divisionibus nobis praebent.

Nam quamvis quaestio sub aspectu theologico ad canonistas per se non pertineat, notiones tamen theologicae ab ipsis non sunt spernendae; quippe quae omnino necessariae sunt ne doctrina et praxis canonica solido careant fundamento.

Verum est canonum interpretationem esse opus a theologia prorsus distinctum; tamen non est ab ea omnino independens. Plures utique in Codice inveniuntur canones qui praescripta continent iuris mere ecclesiastici, quique proinde discretioni legislatoris absolute subiacent; sed plura quoque sunt praescripta quae non, vel saltem non omnino, a voluntate Ecclesiae pendent. Ad hanc alteram categoriam pertinent multa quae circa potestatem ordinis disponuntur, ut ex praesenti studio clarius infra patebit.

Propositum nostrum non est quaestionem de intima natura metaphysica potestatis ordinis hic penitus examinare, quod ad theologos proprie spectat, sed claram dumtaxat ipsius potestatis ordinis notionem praebere prout ex doctrina theologorum et canonistarum colligi potest. Nobis enim persuasum est hunc primum gressum omnino praerquiri ad quamlibet quaestionem circa huius potestatis delegationem vel delegabilitatem recte solvendam.

Scripta ex professo de natura potestatis ordinis scientificae et systematicae tractantia, proh dolor, tam in iure canonico quam in theologia adhuc desiderantur. Nec nos talem tractationem undequaque completam in

praesenti articulo conficere intendimus. Ea tantum ex auctoribus colligimus quae vel necessario vel utiliter a canonistis cognoscantur oportet, ut quaestiones circa potestatem ordinis delegatam recte intelligere et solvere possint.

Doctrinam sub triplici exponemus capite. Primo notionem potestatis ordinis trademus; secundo de eiusdem praecipuis divisionibus tractabimus; tertio vero de relatione inter potestatem ordinis et illam iurisdictionis, ut ita appareat ratio sub qua quaestio de delegatione et delegabilitate potestatis ordinis ad ius canonicum pertinet et in praesenti dissertatione tractatur.

A — DE NOTIONE POTESTATIS ORDINIS

De notione potestatis ordinis acturi, quaedam imprimis praemittamus necesse est de potestate Ecclesiae in genere, ut ita transitum logice facere possimus ad tractationem de potestate ordinis in specie.

1) *De potestate Ecclesiae in genere*

Nomine potestatis quae societati uti tali competit venit « omnis facultas ad gubernationem communitatis necessaria, id est, requisita ad directionem eius in proprium finem, cum nihil aliud sit gubernare quam in finem dirigere ».³ Ad ipsam enim societatis naturam pertinet, tanquam proprietas ad essentiam, *auctoritas* cuius est membra societatis in finem dirigere, et quidem modo auctoritativo et efficaci. Hoc verum est de quacumque societate, ita quidem ut nulla habeatur societas in qua aliqua auctoritas non inveniatur, auctoritas nempe sufficienti praedita potestate ut societatem ipsam efficaciter ad proprium finem conducere possit.

Huiusmodi auctoritati in societate perfecta illa competit potestas quam iurisdictionem vocant. Et Ecclesia, cum sit et ipsa societas perfecta, hanc potestatem aequo iure ac societas civilis sibi vindicat. Agitur enim de potestate quae omni societati perfectae qua tali, seu ex ipsa eius natura, competit, quaeque ex fine necessario obtinendo mensuram accipit.

³ L. BILLOT, *De Ecclesia Christi*, p. 330.

Differentia inter Ecclesiam et Statum

Ecclesia autem et status civilis, quamvis in natura societatis perfectae convenient, differunt tamen ratione finis utriusque praestituti. Finis enim societatis civilis est temporalis et naturalis, ipsas naturae vires non excedens; finis vero Ecclesiae supernaturalis est, qui solis naturae viribus obtineri non potest. Haec differentia ratione finis et aliam necessario secumfert ratione potestatis quae utriusque societati competit; mensura enim socialis potestatis, uti iam vidimus, est finis consequendus. Ecclesia ergo eo quod finem prosequitur supernaturalem, quadam potestate supernaturali praedita sit oportet.

« Ad finem eius supernaturalem obtinendum non sunt sufficientia principia insita ordini naturali ad quem societas humana pertinet; alia supernaturalia in sociale corpus affluere debent. Propterea oportet in Ecclesia alia adsit potestatis ratio ».⁴

De potestate utriusque societati communi

Attento duplici societatis ecclesiasticae aspectu, sociali scilicet et supernaturali, Billot totam rationem publicae potestatis in Ecclesia ita statuit :

« Hinc generalem partitionem publicae potestatis in ecclesiastica societate accipere licet. In primis, si Ecclesiam consideres prout convenit cum aliis humanis societatibus, id est sub eo respectu qui omni perfectae societati communis est, sic sine difficultate agnoscenda est in ea potestas regiminis sive iurisdictionis. Non enim potest societas ulla consistere, nisi sit auctoritas efficaci similique movens singulos ad commune propositum impulsione, seu ius regendi imperio omnes actus membrorum societatis in ordine ad proprium ipsius societatis finem. Unde iurisdictionem ecclesiasticam eiusque distinctionem a iurisdictione saeculari agnoscunt theologi, velut intrinsece et ex natura rei conser-tam, cum ratione verae, perfectae ac distinctae societatis, sub qua Ecclesia visibile Christi Regnum dicitur et est... ubi vides potestatem iurisdictionis esse in Ecclesia ex titulo qui communis est omni societati perfectae... ».⁵

⁴ F. BLATON, *Generalia de potestate ecclesiastica*, Collationes Gandavenses, 17 (1930) 121.

⁵ *De Ecclesia Christi*, p. 328.

De potestate ordinis Ecclesiae propria

Videamus nunc in quo, ad potestatem quod attinet, Ecclesia ab aliis perfectis societatibus differat. En quomodo res a Billot explicatur :

« At nunc considerandum venit quomodo in Ecclesia esse oportet praeter potestatem iurisdictionis quamdam aliam potestatis rationem, et qua de causa simili partitioni locus non sit in potestatibus aliis quibus humanarum rerum et temporalis felicitatis procuratio concredita est. Sane vero cum in societatibus caeteris omnia socialis activitatis elementa in natura sint et in natura praesupponantur, nullum eorum est quod per ipsam socialem potestatem debeant dispensari. Sufficit ergo ut sit auctoritas dirigens atque unificans, habens ius condendi leges, tum geminam quae hinc consequitur iudicandi puniendique facultatem ; quod totum ad formalem rationem potestatis imperii sive iurisdictionis noscitur pertinere. Nunc autem alia omnino ecclesiasticae societatis conditio est. Habet enim finem excedentem naturalem hominis cognitionem naturalesque vires, et ideo procuratio eius non in sola directione seu moderatione socialium virium consistere dicenda est, verum etiam in subministratione ipsorum principiorum quibus membrorum activitas fini attingendo par et proportionata evadere possit ».⁶

Media haec supernaturalia Deus potuisset alio modo hominibus communicare, voluit tamen omnia nobis elargiri mediante societate a Christo fundata. Haec vero media seu principia supernaturalia quibus homo capax redditur et adiuvatur ad finem supernaturalem consequendum ad duo revocantur, veritatem scilicet supernaturalem et gratiam. Per fidem enim homo elevatur ad cognoscendas veritates supernaturales a Deo revelatas, per gratiam vero natura humana formaliter elevatur ad consortium divinae naturae et ita idonea efficitur ad operandum in ordine ad finem vitae aeternae supernaturalis.

« Haec igitur causa est — ita prosequitur Billot — cur in Regno Christi, praeter potestatem regendi imperio actus subditorum, debuerit esse specialis alia potestatis ratio pro dispensatione eorum quae a Deo auctore supernaturali desuper effluere necesse est, ut sit ecclesiastica societas instructa omnibus principis suo fini assequendo proportionatis ».⁷

⁶ *Op. cit.*, pp. 327-328.

⁷ *Op. cit.*, p. 330.

Haec ergo alia potestas, quae Ecclesiae propria est, circa illa media seu principia supernaturalia versetur necesse est, circa veritates, scilicet, supernaturales et gratiam. Et hac duplici potestate de facto Ecclesia ditata est a suo Divino Fundatore, qui potestatem regiminis per additionem potestatis magisterii ampliavit et novam adjunxit potestatis speciem, illam nempe ordinis, de qua iamiam disserturi sumus.⁸

Potestas ordinis potestas socialis?

Ordinis ergo potestas, quamvis Ecclesiae uti tali competat, non potest dici socialis eo sensu quod ad ipsam essentiam perfectae societatis pertinet; sed oritur ex positiva Christi voluntate qui Ecclesiam a se fundatam hac potestate in ordine ad finem supernaturalem consequendum insignitam voluit.

Quo sensu dicitur « potestas »

Notandum est vocabulum « potestas » non omnino univoce de potestate ordinis et iurisdictionis praedicari sed potius analogice. Secundum Ciprotti :

« Come appare a priori dalla nozione stessa di potestà di giurisdizione, è chiaro che quando si parla di potestà di ordine... si usa il termine di potestà in un senso diverso da quello di « potere di comandare » in cui quel termine è usato quando si parla di potestà di giurisdizione ».⁹

Nihilominus ordinis potestas vere et proprie potestas dicenda est; nam, uti scribit Billot,

« Si qua sit societas quae non sola imperandi auctoritate in finem sibi proprium dirigi queat, sed ad hoc alius quoque generis functionem requirat, non est dubitandum quin et ista ad veri nominis potestatem prout nunc de potestate loquimur pertinere dicenda est ».¹⁰

⁸ Cfr. A. OTTAVIANI, *Institutiones Juris Publici Ecclesiastici*, vol. I, n. 112.

⁹ *Archivio di Diritto Ecclesiastico*, 3 (1941) 59.

¹⁰ *De Ecclesia Christi*, p. 330.

2) *Notio potestatis ordinis*

a) *Quoad nomen.* — Vocabulum ordo, a quo potestas de qua agimus nomen accipit significat « aptam et decoram rerum variarum collocationem et dispositionem... Sanctus Augustinus hanc ordinis apud Latinos vulgatissimam significationem describit: « Parium dispariumque rerum sua cuique tribuentem dispositionem ».¹¹ « Placuit autem Sanctis Patribus, ait Catechismus Romanus, hoc vocabulo uti, quod latissimam significationem habet, ut dignitatem et excellentiam ministrorum Dei significarent. Est enim ordo, si propriam eius vim et notionem accipiamus, dispositio superiorum et inferiorum rerum, quae inter se ita aptae sunt, ut una ad alteram referatur. Cum itaque in hoc ministerio multi sint gradus et variae functiones, omnia vero certa ratione distributa sint et collocata, recte et commode Ordinis nomen ei impositum videtur ».¹²

Duplici sensu haec vox ab auctoribus usurpatur; primo, velut active, sumitur pro ipso ritu ordinationis, secundo quasi passive sumitur ordo pro statu seu gradu potestatis et ministerii sacri.¹³

« Active sumptus est ipsa ordinatio, i.e. sacra caeremonia qua inaugurantur ministri cultus Ecclesiae; passive est ipsa sacra potestas quae per ordinationem confertur. Unde ordinatio et Ordo (passive) sunt inter se tamquam causa et effectus ».¹⁴

Prima ergo atque elementaris potestatis ordinis notio haec est: potestas quae per ordinationem confertur, seu uti ait S. Thomas, « quae per aliquam consecrationem confertur ».¹⁵ Haec tamen notio, quae nominalis dici debet, quippe quae non ex potestatis *obiecto* sed ex eiusdem *origine* desumitur, parum naturam potestatis ordinis innotescere facit. Restat ergo ut essentiam huius potestatis, prout ab illa iurisdictionis distinguitur, inquiremus. Quod ut melius assequamur de eius actibus et de eius obiecto ex ordine agemus.

b) *Quoad rem.* — Hic applicandum venit illud principium iuxta quod facultates ab actibus, actus vero ab obiecto specificantur. Ut ergo es-

¹¹ I. MORINUS, *Commentarius de Sacris Ecclesiae Ordinationibus*, Exer. I, cap. III, n. 1.

¹² Parte II, cap. VII, n. 9.

¹³ Cfr. F. L. FERRARIS, *Bibliotheca canonica juridica*, tom. VI, vox « Ordo ».

¹⁴ A. VERHAMME, *De notione ordinis*, in *Collationes Brugenses*, 39 (1939) 102.

¹⁵ II-II, q. 39, a. 3.

sentiam potestatis cognoscere possimus, determinare debemus actus eius proprios et proprium eius obiectum a quo ultimo speciem sumit.

Actus potestatis ordinis

Loquendo de potestate Ecclesiae in genere, iam vidimus Christum societatem a Se fundatam non solum potestate imperandi ditasse, sed et eidem aliam spiritualem potestatem contulisse, subministrandi, scilicet, populo christiano illa bona spiritualia et supernaturalia quae solis humanis viribus procurari non possunt, quaeque totidem media sunt ad finem societatis ecclesiasticae consequendum. Ita Ecclesiae competit potestas magisterii in ordine ad veritates supernaturales infallibiliter proponendas et potestas ordinis in ordine ad media quibus gratia hominibus communicatur. Est ergo ordinis potestas « spiritualis potestas... ea praestandi fidelibus quae ad ipsorum sanctificationem et salutem pertinent ».¹⁶

Huius potestatis actus ab auctoribus generatim nomine *sacrarum functionum* designantur. « Potestas ordinis in genere, ait Gasparri, est potestas ritu ordinationis collata *sacras perficiendi functiones* ».¹⁷ Wernz illam dicit ordinatam esse « ad exercendas *functiones sacras cultus divini* ».¹⁸ Cultus hic intelligendus est non de cultu privato sed de publico et sociali. « Ordo enim institutus est non pro sanctificatione hominis individui sed pro necessitatibus cultus socialis et sanctificatione aliorum ».¹⁹ seu ut verbis Devoti utamur « ordinis potestas pertinet ad sacrum ministerium atque ad spiritualia bona Christiano populo tribuenda », ²⁰ Divinus enim cultus, iuxta S. Thomam, « consistit vel in recipiendo aliqua divina, vel in tradendo aliis ».²¹ Potestas vero ordinis circa illos proprie actus versatur quibus cultus publicus Deo tribuitur et bona spiritualia hominibus traduntur; nam proprie ad hoc ordinantur clerici. Huiusmodi actus sunt oblatio sacrificii, administratio sacramentorum et sacramentalium, consecrationes, benedictiones etc. « Ordinis potestas, ait Wernz, exercetur actibus cultus divini, consecrationibus et benedictionibus sacramentorumque administratione ».²² Suárez eam dicit « facultatem moralem ad cultum Dei religiosum ordinatam vel per oblationem sacrificii vel per

¹⁶ DE VIVO, *Disputationes theologicae dogmaticae de re sacramentaria*, tom. III, p. 996.

¹⁷ *De sacra ordinatione*, vol. II, p. 292.

¹⁸ *Jus Decretalium*, tom. II, p. 31.

¹⁹ A. VERHAMME, *De notione ordinis*, in *Collationes Brugenses*, 39 (1939) 103.

²⁰ *Institutiones canonicae*, lib. I, paragr. 2.

²¹ II-II, q. 63, a. 2.

²² *Jus Decretalium*, Proemium, p. 10.

administrationem aut dispensationem Sacramentorum quae ad sanctificationem fidelium sunt instituta vel denique per quascumque alias caeremonias, quae ad ornatum sacrificii aut sacramentorum convenienter et ordinate fieri debent ». ²³

Actus primarii et actus secundarii

Inter actus potestatis ordinis alii a theologis *primarii* seu *principales*, alii vere *secundarii* dicuntur. Ratio huius divisionis datur a S. Thoma :

« Potestas ordinis ad dispensationem sacramentorum ordinatur ; inter sacramenta autem nobilissimum et consummativum aliorum est Eucharistiae sacramentum... Oportet ergo quod potestas ordinis consideratur praecipue secundum comparisonem ad hoc sacramentum ». ²⁴ « Sacerdos duos habet actus, principalem, scilicet consecrare verum Corpus Christi, et secundarium, scilicet praeparare populum ad susceptionem huius sacramenti ». ²⁵

Haec divi Thomae terminologia a theologis posterioribus recepta est et etiam hodie adhuc retinetur. « Haec sacra potestas, ait Hervé de potestate ordinis scribens, exercetur principaliter circa verum Christi Corpus, secundario circa Corpus Eius Mysticum ». ²⁶ Et Daffara : « In caractere ordinis duplex confertur potestas : una primaria quoad Corpus Christi verum ; alia secundaria quoad Corpus Eius Mysticum seu fideles ». ²⁷

Eandem distinctionem suam fecit etiam *Catechismus Romanus* : « Ordinis potestas non solum consecrandae Eucharistiae vim et potestatem continet, sed ad eam accipiendam hominum animas praeparat et idoneos reddit, ceteraque omnia complectitur, quae ad Eucharistiam quovis modo referri possunt ». ²⁸

Attentis ergo hucusque expositis, actus potestatis ordinis ita ordinari possunt :

- a) *Actus primarii*, seu illi actus qui directe circa sacrificium Missae et sacramentum Eucharistiae versantur.

²³ *Defensio Fidei Catholicae*, lib. III, c. 6.

²⁴ *Summa contra Gentiles*, lib. IV, c. 74.

²⁵ *Supplementum*, q. 40, a. 4.

²⁶ *Manuale Theologiae Dogmaticae*, vol. IV, n. 309.

²⁷ *Cursus Manualis Theologiae Dogmaticae, De sacramentis*, n. 884.

²⁸ Parte II, cap. VII, n. 7.

- b) *Actus secundarii*, seu illi actus qui circa alia sacramenta versantur vel alios actus cultus, uti consecrationes, benedictiones etc., quique nomine generico sacrarum functionum veniunt.

De obiecto potestatis ordinis

Ut ad claram notionem potestatis ordinis pervenire possimus non sufficit eius actus et obiecta quasi materialiter enumerare, sed ulterius quaerendum est quanam sit formalitas horum actuum et obiectorum quae ab ordinis potestate attingitur quaeque hanc potestatem in sua propria essentia nobis innotescere facit. Aliis verbis quaerere oportet *de eius obiecto formali*, quo nempe specificatur et ab aliis potestatibus distinguitur.²⁹

Uti iam vidimus, ordinis potestas versatur circa sacramenta, sacramentalia aliosque cultus publici actus. Sed haec omnia etiam a potestate iurisdictionis, sub diverso tamen respectu, attinguntur. Insuper nec omnia sacramenta, nec omnia sacramentalia, nec omnes cultus publici actus ministrum requirunt potestate ordinis insignitum, uti patet e. gr. in sacramento Matrimonii quod ab ipsis contrahentibus administratur. « Non è dunque, scribit Bonetti, il sacramento in quanto tale che esige nel suo ministro uno speciale potere sacramentale ».³⁰

Alia ergo quaerenda est ratio quare administratio quorundam sacramentorum et sacramentalium fieri non potest nisi a ministro speciali ordinis potestate praedito.

In genere haec ratio reponenda videtur in *reservatione* sive ab ipso Christo sive ab Ecclesia facta, vi cuius quaedam functiones sacrae a quibusdam tantum personis qualificatis et legitime deputatis peragi possunt. Complexus harum functionum nomine *sacri ministerii* designatur et ministrum specialiter deputatum, seu speciali auctoritate praeditum requirunt. Talis vero deputatio seu auctoritas quae in ministro requiritur nihil aliud est quam potestas ordinis. Ita ab auctoribus dicitur potestas sacras functiones *ex officio* peragendi. Vi enim huius potestatis clericis committitur administratio quorundam bonorum spiritualium,

²⁹ « Duplex distinguenda hierarchia. Diversitas autem desumitur ex diversitate obiecti formalis ». DE LUCA, *Praelectiones Juris Canonici*, vol. I (Romae, 1897), p. 22.

³⁰ *Il potere di Ordine extrasacramentale*, in *Divus Thomas*, 52 (1949) 68; cfr. etiam P. CIPROTTI, *Sulle Potestà della Chiesa*, in *Archivio di Diritto Ecclesiastico*, 3 (1941) 191: « Ora la facoltà di amministrare i sacramenti... non sempre spetta esclusivamente a chi ha ricevuto l'ordine (o un determinato grado di ordine), bensì in alcuni casi soltanto, mentre in altri ciò non avviene (per es. per il matrimonio) ».

quae non ab omnibus fidelibus administrari possunt, sed ab illis solis personis quibus a Christo et ab Ecclesia hoc committitur.

Ad rem Bonetti: « Che l'amministrazione di alcuni sacramenti... sia stata riservata a chi è investito di un apposito potere di ordine, è dovuto al fatto che tale amministrazione comporta l'esercizio di una autorità nella Chiesa ».³¹

Bene tamen distinguenda est « auctoritas » seu « facultas » seu « potestas » de qua hic ab illa iurisdictionis.

« Sane ordinis potestas... nihil aliud est quam potestas conficiendi et tradendi sacra *ex officio*. Dicitur enim sacerdos quasi sacra dans, et quia omnis recipiens qua talis subiicitur danti seu agenti, constat quod potestas ordinis per seipsam ponit in ordinato veram praeeminentiam super eos qui in statu laicali existentes deputantur tantum ad sacrorum receptiones. Verum praeeminentia ista nondum illa est quae in praelato respectu subditorum consideratur; alia enim est subiectio recipientis ad dantem, et alia subiectio subditi ad superiorem pollentem iure imperandi, praecipendi, ligandi et solvendi ».³²

Potestas iurisdictionis directe afficit seu ut obiectum habet fidelium regimen, et qui hac gaudet potestate auctoritatem directam in fidelium voluntates exercet. Potestas ordinis e contra directe respicit media supernaturalia salutis, sed simul secumfert quamdam praeeminentiam qua ministri hac potestate praediti supra caeteros fideles eminent, quatenus nempe fideles ab ipsis pro receptione spiritualium bonorum dependent.

Ordinatio ergo nihil aliud est quam deputatio alicuius ad aliquod ministerium sacrum in Ecclesia exercendum, illud nempe ministerium quo bona spiritualia administrantur et fidelibus nomine Christi et Ecclesiae traduntur. « Per omnem ordinem ecclesiasticum proprie dictum, scribit Schmalzgrueber, confertur potestas aliqua ad peculiarem actionem *sacram et ecclesiasticam, adeoque* ministrorum Ecclesiae propriam, obeundam ».³³

Potestas ordinis ad validitatem actus requiritur?

Auctores de potestate ordinis quandoque asserunt hanc potestatem semel habitam semper et ubique *valide* exerceri posse. Notandum tamen

³¹ *Il potere di Ordine extrasacramentale*, in *Divus Thomas*, 52 (1949) 68.

³² L. BILLOT, *De Sacramento Ordinis* (Romae, 1922), p. 306.

³³ *Jus Canonicum Universum*, tit. XI, 3.

est potestatem ordinis non semper requiri ad validitatem actus ad quem ordinatur. Aliis verbis, actus qui reservantur personis aliquo gradu potestatis ordinis insignitis non semper ita reservantur ut ab aliis personis non possint valide poni. Reservatio in casu aliquando afficit solam liceitatem, aliquando vero ipsam actus validitatem.³⁴ Imo haec reservatio aliquando ne quidem liceitatem actus afficit, uti accidit in quibusdam actibus propriis subdiaconatus et ordinum minorum. Hujusmodi enim actus etiam a laicis, saltem aliquando, valide et licite poni possunt.

Neque exinde obiici potest illos ordines nullam conferre potestatem. Hanc obiectionem quoad ostiariatum S. Thomas in *Commentario in Sententias* sibi proponit: « In aperitione et clausione ostiorum non habent aliam potestatem spiritualem ostiarii quam alii homines ». Cui ita respondet :

« Dicendum quod (ostiarius) suscipit potestatem ut *ex officio* hoc agere possit ; quamvis etiam et hoc ab aliis fieri possit, sed non ex officio, et ita est in omnibus actibus minorum ordinum, quod possunt ab aliis licite fieri, quamvis illi non habeant ad hoc officium, sicut etiam in domo non consecrata potest dici Missa, quamvis consecratio Ecclesiae ad hoc ordinetur ut in ea Missa dicatur ».³⁵

Non est ergo de essentia potestatis ordinis ut semper requiratur ad validitatem actus ad quem ordinatur; essentialiter enim consistit in quadam deputatione ad speciales functiones sacras *ex officio* peragendas, et per accidens est quod huiusmodi deputatio requiratur ad validitatem actus. Ex hoc tamen non sequitur huiusmodi potestatem numquam requiri ad validitatem actus. Dantur enim sacramenta et sacramentalia quae a solis ministris ad hoc legitime deputatis valide confici possunt. Hoc tamen provenit non a natura potestatis ordinis, sed a voluntate Christi vel Ecclesiae, quae praedictos actus ita reservat ut ab aliis personis valide peragi nequeant. Aliis verbis, quod aliqua persona sit legitime deputata ad quasdam functiones sacras peragendas non necessario significat illam solam posse easdem valide exercere.

³⁴ « La riserva può essere solo ad liceitatem, come invece può essere sotto pena di nullità ». *Sulle Potestà della Chiesa*, in *Archivio di Diritto Ecclesiastico*, 3 (1941) 191.

³⁵ *In IV lib. Sent.*, Dist. 24, q. 2, a. 2, ad 9.

De potestate et caractere ordinis

Deputatio haec generatim fit modo stabili per ritum quemdam sensibilem ad modum cuiusdam consecrationis. Quare potestas ordinis hoc modo semel obtenta semper in subiecto manet. Ratio datur a S. Thoma :

« Omnes consecrationes Ecclesiae sunt immobiles, manente re quae consecratur ; sicut patet etiam in rebus inanimatis : nam altare semel consecratum non consecratur iterum nisi fuerit dissipatum. Et ideo talis potestas secundum suam essentiam remanet in homine qui per consecrationem eam est adeptus quamdiu vivit, sive in schisma sive in haeresim labatur ; quod patet ex hoc quod rediens ad Ecclesiam non iterum consecratur ». ³⁶

Quoad indelebilitatem seu inamissibilitatem distinguendum est inter illam ordinis potestatem quam Christus determinato gradui ordinis per characterem sacramentalem adnexam voluit et illam quae alicui ordini ex voluntate Ecclesiae adnexa est. Potestas enim quam Christus characteri sacramentali adnexit numquam amittitur nec ab ulla auctoritate terrena tolli potest. Nam per characterem sacramentalem ordinatus deputatur ab ipso Christo ad aliquod ministerium sacrum. Talis ergo deputatio a nullo infra Deum irrita fieri potest. De hac potestate scribit Soglia « quod per sacram ordinationem confertur neque amitti potest, nec auferri, quia character unde profluit deleri nequit, sed perpetuo inhaeret, ita ut qui sacerdos semel fuit, laicus rursus fieri non possit ». ³⁷

Inamissibilitas potestatis ordinis iuris ecclesiastici.

Etiam potestas quae ex voluntate Ecclesiae per ordinationem traditur, inamissibilis dicenda est, non tamen eodem modo ac illa potestas quae vi characteris sacramentalis alicui competit. Absolute loquendo Ecclesia posset potestatem a se institutam ita auferre aut limitare, ut non solum illicitus, sed, sublata potentia, etiam invalidus sit eius usus. Hoc tamen numquam facit. Nam neque potestatem quae ex voluntate Ecclesiae ordinibus episcopatus, presbyteratus et diaconatus adnectitur, neque potestas quae subdiaconatu et ordinibus minoribus confertur, in poste-

³⁶ II-II, q. 39, a. 3.

³⁷ *Institutiones Iuris Publici et Privati Ecclesiastici*, Parte II, lib. I, cap. I, p. 138.

rum umquam radicitus aufertur, etiam si ordinatus ad statum laicalem reducatur.

« Quicumque aliquo gradu, etiam inferiori, statui clericali adscriptus est, saltem de facto numquam per absolutam et internam ablationem ordinis iterum in eum statum laicalem reducitur in quo ante ordinationem fuerat constitutus, sed omnis reductio ad statum laicalem, ut in ordinibus hierarchicis, ad effectus externos et canonicos restringitur ».³⁸

De facto ergo omnis ordinis potestas quae per ritum ordinationis confertur, sive sit iuris divini sive sit iuris ecclesiastici, est inamissibilis. « Inamissibilitatem quam tres priores ordinationes operantur iure divino, caeterae ordinationes operantur iure ecclesiastico ».³⁹ Unde potestas ordinis iuris ecclesiastici a Maroto dicitur « constituta ad perfectam imitationem potestatis ordinis ex iure divino ortae ».⁴⁰ De omni ergo ordinis potestate quae ritu sacro confertur valet principium a D. Thoma enunciatum: « Omnes consecrationes in Ecclesia sunt immobiles, manente re quae consecratur... Et ideo talis potestas secundum suam essentiam remanet in homine qui per consecrationem eam est adeptus quamdiu vivit... ».⁴¹

De potestate ordinis quae absque ritu sacro confertur.

In definitionibus potestatis ordinis quae apud auctores inveniuntur fere communiter asseritur hanc potestatem illam esse quae per ritum sacrum confertur. Notandum tamen est quamdam potestatem ordinis conferri posse et quandoque de facto conferri sine ritu ordinationis, uti e. gr. accidit quando Summus Pontifex alicui simplici sacerdoti facultatem tribuit ponendi quosdam actus ordinis episcopalis, quae tamen facultas seu potestas vi propriae ordinationis illi non competit. Quamvis ergo modus, ut ita dicam, ordinarius conferendi hanc potestatem sit ritus sacrae ordinationis, hoc tamen non est de essentia potestatis ordinis. Quapropter haec potestas ab illa iurisdictionis non necessario distinguitur ratione modi quo confertur, sed utique ratione obiecti circa quod versatur. Hoc facile apparet quoad potestatem ordinis institutionis ecclesiasticae, quae etiam per delegationem committi potest quin ad hoc

³⁸ F. WERNZ, *Jus Canonicum*, tom. II, p. 378.

³⁹ *De delegationibus et subdelegationibus ecclesiasticis*, in *Jus Pontificium*, 3 (1923) 86-91.

⁴⁰ *Institutiones Juris Canonici*, p. 568.

⁴¹ II-II, q. 39, a. 3.

intercedat ritus ordinationis. Patet etiam e. gr. quoad potestatem confirmandi, quae vi propriae consecrationis episcopis competit, sed simplici quoque sacerdoti conferri potest per delegationem pontificiam, uti postea videbimus. Idem dicendum venit e. g. de potestate conferendi ordines minores qua abbates ex concessione Sanctae Sedis iure communi gaudent.⁴²

In definienda ergo potestate ordinis non sufficit dicere eam esse potestatem quae per ritum sacrum confertur. Verum est ritum ordinationis esse, ut ita dicam, modum ordinarium eam conferendi, non vero unicum; vel saltem non omnis potestas ordinis quae a clericis exercetur illis ex solo ordine recepto competit; aliquando enim clericus ex concessione Sanctae Sedis quosdam actus potestatis ordinis ponere potest non vi ordinis recepti sed ex addita delegatione pontificia.

Laici et potestas ordinis.

Quaedam etiam functiones quae clericis in ordinibus minoribus constitutis ex officio competunt, a laicis ex ecclesiastica concessione peragi possunt. In hoc tamen casu potestatem ordinis laici non exercent, cum non sint ex officio ad tales functiones peragendas deputati, neque ulla praeeminentia illis exinde competit supra caeteros fideles. Nomen enim « potestas ordinis », uti supra vidimus, in sua significatione usu iuridico et theologico consecrata, quamdam praeeminentiam in ministris specialiter et permanenter deputatis importat et ad potestatem quae a solis clericis exercetur restringitur.

Quamvis ergo ritus ordinationis non sit unicus modus conferendi potestatem ordinis, merito asseri potest quod saltem de facto quidam nexus necessarius inter ritum ordinationis et omnem ordinis potestatem habetur, quatenus nempe solis clericis in aliquo saltem gradu hierarchiae ordinis constitutis competit. Aliis verbis, potestas ordinis in suo conceptu importat quod personae quibus competit sint in hierarchiam ordinis per ritum ordinationis cooptatae.

Canon 118 expresse statuit quod « soli clerici possunt potestatem sive ordinis sive iurisdictionis ecclesiasticae... obtinere ». Quoad potestatem vero ordinis ulterius asseri potest quod *a solis clericis in hierarchiam ordinis cooptatis* exerceri potest; tonsuratis enim, seu clericis qua talibus, nulla ordinis potestas competit. Ex hoc tamen non sequitur omnem

⁴² Cfr. can. 964, n. 1.

potestatem ordinis quae ab huiusmodi clericis exerceri potest ipsis provenire ex solo ordine recepto; quandoque enim non vi solius ordinis suscepti sed ex addita delegatione pontificia potestatem recipiunt quosdam ordinis actus ponendi, uti melius infra patebit ubi de delegabilitate potestatis ordinis fusius tractabimus.

Potestatis ordinis definitio

Doctrinam de potestate ordinis hucusque analytice expositam iuvabit nunc in unum colligere, ut aliquam huius potestatis definitionem pro indole presentis studii sufficientem conficere possimus.

Definitionem dicimus pro indole nostri studii sufficientem, quia quaestionem scholasticam de natura characteris sacramentalis quatenus ad theologos pertinet hic praetermittimus et illa sola elementa exponimus quae a canonistis in praesenti quaestione prae oculis haberi debent, quaeque satis superque ordinis potestatem a iurisdictione distinguunt.

Attentis ergo hucusque expositis, sequentem proponimus definitionem: *Potestas ordinis est facultas quae clericis in sacram hierarchiam per ritum ordinationis cooptatis competit ponendi ex officio illos actus quibus Ecclesia cultum Deo per oblationem sacrificii tribuit et media sanctificationis sibi commissa fidelibus subministrat quique ex voluntate Christi vel Ecclesiae ita reservantur ut sacram constituent ministerium personis ad hoc specialiter deputatis iure reservatum.*

Explicatur definitio

« Facultas » — Nomine facultatis intelligitur potentia activa aliquid agendi. Omnes fideles vi baptismatis potentia passiva gaudent bona spiritualia recipiendi; nam suscepto hoc sacramento, quod ianua Ecclesiae vocatur, capaces fiunt fideles alia sacramenta recipiendi et mediis salutis Ecclesiae commissis fruendi. Potestas vero ordinis facultatem importat bona spiritualia aliis tradendi. In ordinationibus quae sunt sacramenta haec facultas seu potestas, iuxta complures theologos, consistit in quadam potestate physica. Nos autem hic abstrahimus ab indole physica vel morali huiusmodi facultatis et definitionem tradimus quae omni ordinis potestati convenit, sive conferatur per ordinationem sacramentalem sive per ritum ordinationis non sacramentalem institutionis mere ecclesiasticae sive demum absque omni ritu ordinationis. Omnis enim ordinis potestas, quocumque modo conferatur, ordinatis tribuit

facultatem aliquod ministerium sacrum active peragendi, seu subiectum deputat ad sacra peragenda.

« *ponendi ex officio* » — His verbis exprimitur illa praeeminentia supra communes fideles quam haec potestas in sua notione importat. Potestas enim ordinis est pars illius potestatis socialis quae Ecclesiae competit in ordine ad suum finem supernaturalem prosequendum. Cum vero haec potestas clericis participatur, ipsi ad quoddam officium in Ecclesia assumuntur et, singuli pro suo gradu, ministri publici efficiuntur ad dispensanda illa bona spiritualia quibus fideles sanctificantur et ad beatitudinem supernaturalem perducuntur.

« *quae clericis in sacram hierarchiam per ritum ordinationis cooptatis competit* » — Agitur de subiecto potestatis ordinis. Solis enim clericis in aliquo saltem gradu hierarchiae ordinis constitutis haec potestas competit.⁴³ Nam quamvis laici ex concessione Ecclesiae quasdam functiones quae clericis iure competunt peragere possint, nulla exinde potestate ordinis in Ecclesia gaudent. Ad omne enim exercitium potestatis ordinis praerequitur ritus ordinationis quo clerici ad sacras peragenda functiones destinantur, quamvis potestas ordinis quam de facto exercere possunt non necessario restringitur ad illam quam vi ordinationis receptae possident.

« *illos actus quibus Ecclesia cultum Deo per oblationem sacrificii tribuit et media sanctificationis sibi commissa fidelibus subministrat* » — In hoc ordinis potestas a iurisdictione differt, quod respicit actus quibus bona spiritualia fidelibus traduntur, dum iurisdictione regimen fidelium directe attingit et media sanctificationis eatenus tantum respicit quatenus eorum administratio activitatem quamdam sociale constituit quae legibus et decretis regi debet. Verbis citatis exprimuntur tum actus primarii huius potestatis qui circa Missae sacrificium versantur tum actus secundarii qui ad alia media gratiae referuntur quae, utpote propriam vim sanctificatricem a sacrificio Crucis ultimo derivantia, ab eo dependent et ad illud referuntur.

« *quique ex voluntate Christi vel Ecclesiae ita reservantur ut sacrum constituent ministerium personis ad hoc specialiter deputatis iure reservatum* » — Agitur de ratione formali qua peculiare actus obiectum constituunt potestatis ordinis. Iam supra vidimus non omnia media gratiae, nequidem omnia sacramenta, requirere, vel saltem non semper requirere, ministrum speciali potestate praeditum; quaedam enim sacramenta a

⁴³ Cfr. can. 118.

simplicibus fidelibus administrari possunt. Sic matrimonium administratur a contrahentibus; baptismus non solemnis a quocumque in specialibus adiunctis administrari potest. Non est ergo natura sacramentalis actus ponendi quae illum uti obiectum potestatis ordinis specificat. Ambitus sacri ministerii singulis ordinibus a voluntate Christi vel Ecclesiae circumscribitur et proprie in hac voluntate quaerenda est ratio formalis quare hic vel ille actus peculiari ministro reservetur. Ad determinandum ergo utrum aliquis actus obiectum constituat potestatis ordinis, inquirendum est utrum iure divino vel ecclesiastico ad sacrum pertineat ministerium clericis in hierarchia ordinis constitutis adsignatum. Huiusmodi reservatio, sub aspectu saltem iuridico, elementum constituit formale quo peculiare actus obiectum fiunt potestatis ordinis.

Ad theologos pertinet solutio alius quaestionis, utrum scilicet haec reservatio a sola voluntate reservantis pendeat, an ab essentia actus ponendi, qui ex ipsa natura rei quamdam specialem potestatem physicam in ministro requirat.

B — DE DIVISIONIBUS POTESTATIS ORDINIS

Ad complendas notiones quae studio nostro praerequiruntur breviter nunc exponendae veniunt variae potestatis ordinis divisiones quae ab auctoribus proponuntur.

1) *Potestas ordinis iuris divini et iuris ecclesiastici*

Divisio haec, quae uti cardo solutionis in quaestione de delegabilitate potestatis ordinis a pluribus consideratur, diversimode ab auctoribus proponitur. Sunt auctores qui praedictam divisionem hoc modo intelligunt: Potestas ordinis iuris divini instituta est a Christo et *versatur circa sacramenta*; potestas vero ordinis iuris ecclesiastici instituta est ab Ecclesia et *versatur circa sacramentalia*.

En quomodo proponit divisionem Ottaviani:

« Notandum est potestatem ordinis aliam esse iuris divini, aliam vero iuris ecclesiastici; illam Christus instituit ac conferri voluit per sacram ordinationem, ad conficienda et administranda sacramenta quorum ipse est auctor; altera vero est ex Ecclesiae institutione, quae versatur circa illos ritus sensibiles quos ipsa

instituit ad gratiam significandam et precibus impetrandam, et haec sunt sacramentalia ». ⁴⁴

Eodem fere modo loquitur Solieri :

« Praeter ordinis potestatem divini iuris, Ecclesia potestate a S. Fundatore accepta, aliam ordinis potestatem instituit quae circa ritus sensibiles ecclesiasticae institutionis versatur quibus gratia significatur atque Ecclesiae precibus impetratur ». ⁴⁵

Haec tamen divisio, quae uti obiectum potestatis iuris divini ponit sacramenta et uti obiectum potestatis iuris ecclesiastici sacramentalia, non videtur esse adaequata; nam quaedam datur potestas administrandi sacramenta quae, uti postea videbimus, dici non potest simpliciter iuris divini, e. gr. potestas qua simplex sacerdos sacramentum confirmationis conferre potest. Haec enim potestas presbytero competit non simpliciter vi propriae ordinationis sacerdotalis, et proinde non ex iure divino, sed ex addita delegatione pontificia. Iuris ergo potius ecclesiastici dicenda est quam iuris divini, eo quod presbytero provenit ex concessione ecclesiae et ab Ecclesia iterum auferri potest.

Nobis ergo melior videtur haec alia explicatio a Gasparri proposita :

« Duplex vero est ordinis potestas, alia iuris divini, alia iuris humani. Est iuris divini potestas ordinis quae ex divina institutione per primas tres ordinationes confertur. Quaelibet alia est iuris humani, tum illa quae confertur per primas tres ordinationes sed ex institutione ecclesiastica, e. gr. potestas episcopi consecrandi et benedicendi altaria, coemeteria etc., tum illa quae confertur per alias ordinationes infra diaconatum iuxta probabilissimam et vix non certam sententiam quae tenet hos gradus non esse vera sacramenta, tum tandem illa quae non per ritum ordinationis sed a Romano Pontifice vel a iure... committitur ». ⁴⁶

Haec explicatio Gasparri ita simplicius exprimi potest : Potestas ordinis iuris divini illa est quae ex divina institutione per ritum ordinationis confertur seu alicui ordini adnectitur, iuris vero ecclesiastici est quaelibet alia ordinis potestas. Sic habetur bona divisio per sic et non, quae complectitur tum potestatem ordinis quae per ritum ordinationis confertur tum illam quae ex delegatione pontificia provenit.

⁴⁴ *Institutiones Juris Publici Ecclesiastici*, vol. I, n. 113.

⁴⁵ *Juris Publici Ecclesiastici Elementa*, p.p 41-42.

⁴⁶ *Tractatus Canonicus de Sacra Ordinatione*, p. 292; cfr. etiam WERNZ-VIDAL, *Jus Canonicum*, vol. II, p. 376, n. 383.

Ulterius nunc quaeri posset quaenam ordinis potestas unicuique ordini ex iure divini, quaenam vero ex iure ecclesiastico adnectatur. Hanc tamen quaestionem remittimus ad alium articulum in quo facultates Papae circa delegationem potestatis singulis hierarchiae gradibus adnexae examinabimus. Pro nunc sufficiat terminorum significationem defini-visse.

2) *Potestas ordinis sacramentalis et extra-sacramentalis*

Distinctioni inter potestatem iuris divini et iuris ecclesiastici prope accedit alia inter potestatem sacramentalem et potestatem extra-sacramentalem, saltem si nomine potestatis sacramentalis illam intelligamus quae per ordinationem-sacramentum, nomine vero extra-sacramentalis illam quae sive per ordinationem non-sacramentalem sive per delegationem pontificiam confertur; tunc enim potestas iuris divini convertitur cum sacramentali, potestas vero iuris ecclesiastici cum potestate iuris ecclesiastici.

Sed paucos abhinc annos haec divisio, alio sensu intellecta, proposita est a Bonetti,⁴⁷ qui doctrinam a se expositam D. Thomae attribuit.

Iuxta Bonetti potestas sacramentalis ad mentem S. Thomae illa sola est quae aliquo modo circa sanctissimam eucharistiam seu Corpus Christi verum versatur; omnis alia ordinis potestas, quae potius circa Corpus Christi Mysticum versatur, extra-sacramentalis dicenda est. Divisionem hic referimus eo quod a Bonetti proponitur uti vera solutio thomistica quaestionis de natura potestatis vi cuius ex delegatione pontificia simplex sacerdos quandoque Confirmationem et Ordines administrare potest; quamvis iuxta aliquos haec sententia D. Thomae iam pro superata habenda sit.⁴⁸ Quamvis agatur de quaestione stricte theologica, intime tamen connectitur cum quaestione canonica de delegabilitate potestatis ordinis.

Distinctio inter potestatem ordinis sacramentalem et extra-sacramentalem, secundum Bonetti,⁴⁹ duplici innititur principio thomistico: 1) Character sacramentalis ordinis refertur essentialiter ad SS. Eucharistiam;

⁴⁷ *Il potere di Ordine extrasacramentale*, in *Divus Thomas*, 51 (1948) 136-145.

⁴⁸ Cfr. A. MANCINI, *Il potere di Ordine extrasacramentale con riferimento al presbitero che cresima*, in *Divus Thomas*, 52 (1949) 50.

⁴⁹ « L'affermazione di un potere di Ordine, distinto da quello sacramentale, poggia su due principi ben chiari in S. Tommaso. Primo: il carattere sacramentale è ordinato essenzialmente all'Eucaristia, e perciò il carattere dell'Ordine

quapropter potestas ordinis quae per sacramentum ordinis confertur tota circa eucharistiam versatur; 2) Sed praeter illos actus qui eucharistiam respiciunt plures alii a clericis ponuntur qui dici nequeunt actus iurisdictionis, uti e. gr. collatio Confirmationis et Ordinum, consecratio ecclesiarum etc. « La conclusione che sgorga da queste premesse, scribit Bonetti, è evidente, e d'altronde viene formulata espressamente dallo stesso S. Dottore: « Ordo potest accipi dupliciter. Uno modo secundum quod est sacramentum; et sic...ordinatur ad Eucharistiae sacramentum... Alio modo potest considerari ordo, secundum quod est officium quoddam respectu quarumdam actionum sacrarum... » (*Suppl.* 40, 5). In altri termini: accanto al sacramento dell'Ordine, che imprime il carattere, e da cui derivano le funzioni dell'Ordine riguardanti l'Eucaristia, è da riconoscersi un potere di Ordine non sacramentale, dal quale derivano tutte quelle funzioni che non riguardano l'Eucaristia ».⁵⁰

Per hanc doctrinam facile explicatur secundum Bonetti quare iuxta Divum Thomam: « Papa... potest quaedam, quae sunt superiorum ordinum, committere quibusdam inferioribus ».⁵¹ Ratio est quia quaedam quae sunt ordinum superiorum, uti e. gr. potestas Confirmandi et Ordines conferendi, non dependent directe a characterem et ad potestatem extra-sacramentalem referenda sunt. Iudicium de valore huius doctrinae ad theologos pertinet.

3) *Potestas ordinis circa Corpus Christi verum et circa Corpus Christi Mysticum*

In explicatione divisionis praecedentis hanc terminologiam iam audivimus. Notandum tamen est quod haec altera divisio non necessario connectitur cum praecedente. In praecedenti agebatur de divisione potestatis ratione fontis unde immediate derivatur; hic vero agitur de divisione ratione objecti potestatis quod duplex est, Corpus Christi verum et Corpus Christi mysticum. Potestas circa Corpus Christi verum exercetur in celebratione Missae et in administranda Eucharistia; potestas vero circa Corpus Christi Mysticum consistit in illa praeminentia quae

dà il potere di compiere soltanto quelle funzioni che riguardano l'Eucaristia. Secondo: vi sono delle funzioni che, pur non riguardando l'Eucaristia, non si possono tuttavia considerare come atti di giurisdizione, ma rientrano nella sfera del potere di Ordine: per esempio l'amministrazione della Cresima e degli Ordini, la consacrazione delle chiese... » *Art. cit.* (in nota 47), p. 137.

⁵⁰ *Art. cit.* p. 138.

⁵¹ *Summa*, III, 72, II.

Ecclesiae ministris competit qua dispensatoribus bonorum spiritualium pro quorum receptione fideles a ministris dependent et quodammodo eisdem subordinantur.⁵²

4) *Potestas circa sacramenta et circa sacramentalia*

Bona spiritualia quae a clericis administrantur sunt praesertim sacramenta et sacramentalia; unde duplex dici potest ordinis potestas quatenus alia requiritur ad administranda sacramenta quae effectum suum producunt ex opere operato, alia vero ad administranda sacramentalia quae effectum sortiuntur ex opere operantis Ecclesiae. Hic tamen agitur de divisione quadam materiali non magni momenti.

5) *Potestas ordinis liturgica et sacramentalis*⁵³

Aliqui auctores aliam proponunt divisionem in potestatem ordinis *liturgicam* et *sacramentalem*. A Wernz ita explicatur :

« Speciatim potestas ordinis subdividitur in potestatem liturgicam et potestatem sacramentalem. Illa refertur principaliter ad cultum divinum, secundo ad sanctificationem hominum, v. gr. potestas celebrandi sacrificium Missae. Altera vero primario operatur sanctificationem hominum et secundo dirigitur ad cultum divinum, v. gr. potestas administrandae confirmationis vel extremae unctionis ».⁵⁴

Attenta explicatione ab auctore adiuncta, divisio haec admitti potest. Notandum tamen est quod stricte loquendo non datur oppositio inter « *liturgicam* » et « *sacramentalem* ». Administratio enim sacramentorum etiam ad cultum liturgicum pertinet. In praedicta ergo divisione « *liturgica* » intelligi debet de pertinentibus *potius* ad mediationem ascendentem, « *sacramentalis* » vero de pertinentibus *potius* ad mediationem descendentem.

⁵² Cfr. B. MONSEGÚ, *Potestad de Orden y potestad de santificar* in *XV Semana Española de Teología*, pp. 89-117.

⁵³ Cfr. PH. MAROTO, *Institutiones Juris Canonici*, p. 570; WERNZ, FR., *Jus Decretalium*, II, proemium, p. 13; E. R. AVELINO, *La Teología del Laicado. El estado de la cuestión*, in *XII Semana Española de Teología*, pp. 49-50.

⁵⁴ *Op. cit.* p. 13.

6) *Potestas ordinis stricte dicta et late dicta*

Sunt qui aliam proponunt divisionem in potestatem ordinis stricte dictam et late dictam. Wernz hanc divisionem ita explicat :

«Potestas ordinis subdividitur in potestatem ordinis sensu stricto, quae vero ordini sive a Christo sive ab Ecclesia instituto alligatur, v. gr. potestas sacerdotis administrandi sacramentum extremae Unctionis, et in potestatem ordinis sensu lato, quae vero ordini non est alligata, v. gr. potestas vel facultas valide baptizandi in homine infideli vel administrandi sacramentum matrimonii cuius ministri sunt ipsi sponsi contrahentes».⁵⁵

Melius tamen esset ab usu huiusmodi terminologiae omnino abstinere; nam non nisi improprie loqui possumus de potestate ordinis in simplici fidei qui nullo modo ad hierarchiam ordinis pertinet neque specialiter ad aliquas functiones sacras in Ecclesia peragendas deputatur.⁵⁶

7) *Potestas ordinis completa et incompleta*

Per potestatem ordinis completam auctores intelligunt illam quae episcopis competit. Episcopis enim competit plenitudo sacerdotii et proinde plenitudo potestatis sacerdotalis. Incompleta vero dicitur potestas ordinibus episcopatus inferioribus adnexa, quatenus clerici episcopis inferiores non totam ordinis potestatem possident sed eam « solummodo ex parte atque pro diversis gradibus maiori minorive ambitu consequuntur ».⁵⁷

8) *Potestas ordinis ordinaria et delegata*

Explicatio divisionis potestatis ordinis in ordinariam et delegatam considerari potest uti obiectum praesentis studii. Diversimode ab auctoribus explicatur. Sunt qui tenent ipsam ordinis potestatem nullo modo

⁵⁵ *Jus Decretalium*, vol. II, proemium, p. 13; cfr. etiam PH. MAROTO, *Institutiones Juris Canonici*, p. 570.

⁵⁶ Cfr. VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome Juris Canonici*, vol. I, n. 253; VICTOR A IESU MARIA, *De jurisdictionis acceptione in jure ecclesiastico*, p. 143, nota I.

⁵⁷ F. WERNZ, *Jus Decretalium*, proemium, p. 13.

delegari posse, cum sit omnino inalienabilis. *Ordinaria* ergo et *delegata* quando de potestate ordinis dicuntur intelligi debent de exercitio huius potestatis, non vero de delegatione ipsius potestatis.

Ipsa Codex quando agit de iurisdictione significationem terminorum « *ordinaria* » et « *delegata* » modo sequenti explicat : « Potestas iurisdictionis ordinaria ea est quae ipso iure adnexa est officio; delegata quae commissa est personae ». ⁵⁸ Quantum vero ad potestatem ordinis nullam tradit potestatis ordinariae et delegatae notionem neque terminos « *ordinaria* » et « *delegata* » adhibet. In canone 210 sermo est de potestate ordinis « a legitimo Superiore ecclesiastico sive adnexa officio sive commissa personae », sed, uti postea videbimus, circa sensum huius clausulae auctores non concordant.

In Schematibus praeparatoriis Codicis sequens tradebatur explicatio potestatis ordinis *ordinariae* et *delegatae* : ⁵⁹

« Etiam potestas ordinis iuris ecclesiastici potest esse ordinaria vel delegata. Potestas delegata iurisdictionis vel ordinis ea est quae commissa est personae ; ordinaria quae ipso iure adnexa est officio, vel etiam, si agatur de potestate ordinis, sacrae ordinationi ».

Haec omnia in definitiva Codicis redactione disparuerunt et in titulo *de potestate ordinaria et delegata* mansit tantum canon 210, nec alibi in Codice legislator expresse de potestate ordinis ordinaria et delegata verbum facit.

Plures tamen auctores post Codicem etiam potestati ordinis applicant terminos « *ordinaria* » et « *delegata* », sed talem divisionem non omnes eodem modo intelligunt. Cum vero tota nostra dissertatio eo tendat ut doctrinam de delegabilitate potestatis ordinis exponamus, explicationem huius divisionis remittimus ad finem nostri studii, ubi ad modum conclusionis veram notionem delegationis potestatis ordinis tradere intendimus et sensum verborum « *ordinaria* » et « *delegata* » prout huic potestati applicari possunt, determinare.

⁵⁸ Canon 197, paragr. 1.

⁵⁹ *Schema Codicis Juris Canonici* (sub secreto pontificio), Romae 1912, lib. I, Normae Generales, can. 97, paragr. 2 et can. 98.

C — DE RELATIONE INTER POTESTATEM ORDINIS ET IURISDICTIONEM

Essentialem distinctionem ratione obiecti formalis iam statuimus inter ordinis et iurisdictionis potestatem. Vidimus quoque quomodo differat utraque potestas ratione modi quo confertur; ordinis enim potestas per ritum ordinationis seu per quamdam consecrationem ordinarie confertur, iurisdictio vero per simplicem actum iuridicum. Non agitur tamen de duabus potestatibus nullam inter se relationem vel dependentiam habentibus. Ex iure enim constitutionali Ecclesiae mutuus nexus atque dependentia inter utramque habetur, ita quidem ut quamvis formaliter duplex in Ecclesia habeatur potestas, realiter tamen, seu ratione personarum quibus haec duplex potestas competit, non duae sed una tantum habeatur hierarchia. Aliis verbis, si vocabulum « hierarchia » sumamus ad significandam ipsam potestatem in abstracto, tunc duplex dicenda est hierarchia ecclesiastica; si vero « hierarchia » sumatur pro illa serie personarum quibus potestas ecclesiastica commissa est, tunc una tantum est hierarchia in Ecclesia.

De hierarchia hoc altero modo accepta scribit Journet :

« On le notera, il n'est pas question de deux hiérarchies, l'une d'ordre et l'autre de juridiction. Le Code ne connaît qu'une seule hiérarchie, qui comporte des degrés soit en raison de l'ordre, soit en raison de la juridiction ». ⁶⁰

Ex divina enim institutione ratione publicae potestatis duo tantummodo distinguuntur status iuridici in Ecclesia, clericalis, scilicet, et laicalis. « Divisio personarum ratione potestatis publicae, scribit Cappello, in clericos et laicos omnino adaequata est, et nullus alius status iuridicus datur ». ⁶¹ Clericis vero, ipsisque solis competere potest non solum ordinis potestas sed et iurisdictionis.

1) *Potestas ordinis uti praesuppositum ad iurisdictionem*

Nexus necessarius inter statum clericalem ex una parte et potestatem ecclesiasticam tum ordinis tum iurisdictionis ex altera statuitur in ca-

⁶⁰ CH. JOURNET, *Vues récentes sur le sacrement de l'ordre*, in *Revue Thomiste*, 53 (1953) 82.

⁶¹ *Summa Juris Canonici*, vol. I, n. 217.

none 118 Codicis : « Soli clerici possunt potestatem sive ordinis sive iurisdictionis ecclesiasticae... obtinere ». Canon utitur verbo « possunt »; *de facto* tamen in hodierna disciplina ecclesiastica non omnes clerici, nequidem omnes clerici qui aliquam habent potestatem ordinis, eo ipso habent etiam potestatem iurisdictionis; nam praeter adscriptionem ad statum clericalem per receptionem primae tonsurae, requiritur insuper determinatus gradus potestatis ordinis ut quis *de facto* consequi possit potestatem iurisdictionis.

Si ad ius divinum attendamus, distinctio inter clericos et laicos provenit non ex prima tonsura sed ex recepto sacramento ordinis; quod ab aliquo auctore recenti ita exprimitur :

« La potestad de orden propiamente dicha es la que hace al clérigo y ha sido establecida por Cristo como fundamento de toda otra potestad eclesiástica », ⁶²

Unde Summus Pontifex Pius XII in Litteris Encyclicis « *Mystici Corporis* » de ordine sacro loquitur tamquam de fundamento totius ecclesiasticae potestatis :

« Sacro autem Ordine ii Deo mancipantur ac consecrantur, qui fidelium gregem Angelorum Pane et doctrinae pabulo enutriant, qui divinis eum praeceptis consiliisque dirigant, qui ceteris denique supernis muneribus confirmant », ⁶³

Quibus verbis clare exprimitur illis solis qui caractere ordinis sunt insigniti competere publicam potestatem tum ordinis tum magisterii tum denique regiminis, Et idem Pius XII alibi scribit :

« L'accettazione da parte del laico di una missione particolare, di un mandato della Gerarchia, se da un lato lo associa più strettamente alla conquista spirituale del mondo che la Chiesa effettua sotto la direzione dei suoi Pastori, dall'altro tuttavia non è sufficiente a farne un membro della Gerarchia, a dargli il potere di ordine e di giurisdizione, che restano legati alla ricezione del sacramento dell'Ordine nei suoi diversi gradi ». ⁶⁴

⁶² B. MONSEGÚ, *Potestad de Orden y Potestad de santificar*, in *XV Semana Española de Teología*, p. 105.

⁶³ *Acta Apostolicae Sedis*, 35 (1943) 202.

⁶⁴ *Atti e Discorsi di Pio XII*, vol. XIX², p. 229.

Haec dependentia iurisdictionis a potestate ordinis tamquam a fundamento quod ordinarie supponit ita ab Ottaviani describitur :

« Arctissima colligatio inter potestatem ordinis et iurisdictionis patet quoque ex connexione quae viget ratione subiecti in quo utraque potestas residet : a) connaturali modo et ordinario invenitur in iisdem subiectis ; b) ex iure canonico communi soli clerici sunt capaces iurisdictionis adipiscendae ; c) imo talis est relatio inter iurisdictionem illam ordinariam qua pollent v. gr. Episcopi, et sacramentum Ordinis, ut ideo foeminae dicantur ipso iure divino incapaces iurisdictionis ordinariae recipiendae quia a sacerdotio excluduntur ». ⁶⁵

Idem nexus necessarius apparet etiam quoad Summum Pontificatum, qui in subiecto exigit plenitudinem sacerdotii. « Costituendo l'episcopato il massimo grado della gerarchia d'ordine — scribit De Bernardis — il Sommo Pontefice deve esserne necessariamente insignito ». ⁶⁶ Unde Pius XII in supracitata allocutione asserit : « Se un laico fosse eletto Papa, non potrebbe accettare l'elezione se non a condizione d'essere atto a ricevere l'ordinazione e disposto a farsi ordinare ». ⁶⁷

Quibus omnibus perspectis, facile intelligitur quare in iure et praxi Ecclesiae hodierna soli Episcopi et Presbyteri potestate iurisdictionis insigniri solent. Magis enim iuri divino convenit ut ordinarie potestate regiminis insigniti sint ii dumtaxat qui characterе sacerdotali ornantur, ut simul duplici illi muneri pastorali satisfacere possint pascendi scilicet et regendi; nam ipsi iure divino ad clerum pertinent, seu ad illam classem personarum a laicis distinctam cui publica potestas in Ecclesia iure pertinet. « Ordo, ait can. 948, ex Christi institutione clericos a laicis in Ecclesia distinguit ad fidelium regimen et cultus divini ministerium ».

2) De dependentia potestatis ordinis a iurisdictione

Hactenus de dependentia iurisdictionis ab ordine tamquam a fundamento connaturali. Nunc vero videamus utrum et quomodo ordinis potestas iurisdictioni subordinetur.

Huic quaestioni cum distinctione respondendum est. Si quaeramus de valido exercitio potestatis ordinis, tunc *ordinarie* validitas actuum pote-

⁶⁵ *Institutiones Juris Publici Ecclesiastici*, vol. I, n. 116.

⁶⁶ L. DE BERNARDIS, *Le due potestà e le due gerarchie della Chiesa*, p. 217.

⁶⁷ *Atti e Discorsi di Pio XII*, vol. XIX^a, p. 228.

statis ordinis a iurisdictione non dependet, excepto casu sacramenti poenitentiae ad cuius valorem requiritur non solum potestas ordinis sed et iurisdictionis. Quantum vero ad licitum ordinis exercitium, pariter ac quaelibet alia socialis activitas, a legibus et ab auctoritate ecclesiastica pendet. Proinde ad competentem auctoritatem pertinet normas dare et modum praescribere iuxta quem licite exerceri possit. Normae hac de re inveniuntur e. gr. in libro III Codicis Iuris Canonici.

Diximus validum ordinis exercitium *ordinarie* a iurisdictione non pendere. Dantur tamen casus in quibus quaedam exceptio ad hanc regulam verificatur, quando scilicet quidam actus superioris ordinis clerico inferioris gradus a Summo Pontifice committuntur, uti accidit quando ex concessione pontificia presbyter conferre potest confirmationem vel aliquos ordines. Haec concessio pontificia, uti postea videbimus, ab auctoribus antiquis nomine *delegationis* seu *demandationis* designatur. In Codice vere iuris canonici vocatur « potestas ordinis a legitimo Superiore ecclesiastico sive adnexa officio sive commissa personae ». ⁶⁸

Actus quo huiusmodi delegatio pontificia fit, pertinet iuxta omnes ad potestatem iurisdictionis, uti aperte docet e. gr. Benedictus XIV :

« Quamvis confirmare sit actus ordinis episcopalis cuius firmitas et validitas a Pontificis nutu non pendet ; delegare tamen simplici presbytero potestatem exercendi huiusmodi actum, potius ad iurisdictionem quam ad ordinem pertinet ». ⁶⁹

Et Mostaza, qui de ministro extraordinario confirmationis speciale studium fecit, asserit hanc sententiam teneri ab omnibus auctoribus inde a saec. XVIII usque ad nostros dies. ⁷⁰ Validum ergo ordinis exercitium in casu dependet a iurisdictione, ab illo scilicet iurisdictionis actu quo Papa requisitam facultatem confert.

3) *Quomodo potestas ordinis ad ius canonicum pertineat*

Attentis hucusque expositis de mutua relatione inter ordinis et iurisdictionis potestatem, facile perspicitur qua ratione potestas ordinis ad

⁶⁸ Canon 210.

⁶⁹ *De synodo dioecesana*, lib. 7, c. 8, n. 7.

⁷⁰ « A todos les parece asimismo que el Papa ejerce un acto de potestad de jurisdicción, no de orden, al autorizar a los presbíteros dicho ministerio ». *El Problema del Ministro Extraordinario de la Confirmación*, p. 301.

ius canonicum pertinet. Ad ius enim pertinet quatenus a iurisdictione dependet :

- a) Quantum ad licitum ordinis exercitium ad ius pertinet normas statuere et modum praescribere circa personas erga quas exerceri potest, circa loca, circa ritum servandum etc.
- b) Quantum vero ad potestatem ordinis quae per delegationem acquiritur, ius limites statuit intra quos delegatio fieri potest, a quo fieri potest, cuinam, quaenam servandae formalitates etc.

Ad canonistas ergo spectat prae oculis habere normas servandas pro licito et valido ordinis exercitio quatenus a iure dependet, necnon doctrinam de delegatione potestatis ordinis cognitam habere ut ius conditum recte interpretari possint et quoad ius condendum probe cognoscant illos praesertim limites quos ius divinum delegabilitati potestatis ordinis praestituit.

(continuabitur)

FR. FINIANUS MONAHAN A REGINA CARMELI, O.C.D.